Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

Ge[n]ti Augusti

terrogavit eum prefectus dicens. Quis
es tu? Respondit. Ego sum euge-
nius rex. et ego sum qui eduxi cap-
tivas. cum contra romanos pugna-
bam. nam multa mihi per eas dominus pre-
stitit. quia ego in captivitate xx
annis conservavi eas. sed cum deus earum
apparuisset eis. dixit ad eas. Re-
vertimini romam martirium suscipere. ele-
gi ergo eas magis relictis omnibus
me sequi. Ego pro nomine domini nostri ihesu
christi martirium cum eis desidero. Prefectus
dixit. Tu christianus non es. quomodo poteris
pro nomine dei ipsarum mori? Eugenius
dixit. Effusio sanguinis credo quod me
faciat christianum. et conspectu suo christus
faciat non esse alienum. Et hunc ve-
nerabilem virum in confessione christi
prefectus iussit decollari. Et cum hoc
fecisset. exivit in pretorium suum. Of-
ferebant et alii duodecim. id est alexius.
anthonius. theodorus. dionisius. apollo-
nius. caponius. piosius. torseus. ortes
pictus. saturius. et alii novem quorum
nomina minime reperimus. Quos
interrogavit prefectus si essent christia-
ni. At illi confessi sunt et dixerunt. quia
christiani sumus. et credimus in dominum ihesum
christum. in quem beata flora et lucilla
crediderunt. Et cum hec audisset.
iussit et ipsos similiter decollari. Et
ipsi cum magno gaudio venerabi-
le susceperunt martirium. deo gratias agentes
qui eos ad confessionem glorie sue per-
ducere dignatus est. Et passe sunt
iste gloriose virgines et martires
christi iiii kalendas augusti. Regnante domino
nostro ihesu christo. cui est honor et gloria
in secula seculorum Amen. ¶ Passio
Sancti Oswaldi regis.

In laudem et gloriam domini nostri
ihesu christi quem adorant omnes
angeli. cui famulantur omnes
sancti. cui serviunt omnes reges. cui
obediunt omnes tribus et lingue
quem metuunt omnes fines terre.
sanctus oswaldus rex et martir egre-
gius gloria et honore coronatus
est. per quem cunctis fidelibus pusillis et
maioribus. piis et peccatoribus datur spes
certe intercessionis. augescit inesti-
mabile exemplum moralis edificati-
onis. perfectis vero proponitur mirabile
spectaculum divine contemplationis.
Qui ubi regnum suscepit anglorum
quia fidem gratia christi a puericia erat
imbutus. cepit gentilem populum ad christi
cultum invitare. et qui nolebant con-
sentire bella indicere. eiusque experientia
per maxima in expugnandis barba-
ris extitit. Quorum maximam ad
christum timore mortis coactos multi-
tudinem per christi sacerdotes baptisma-
te consecravit. Successores eadwi-
ni regis anglorum in apostasiam cor-
ruentes. cum sue gentis et fidei et
regno magno extitissent detrimento.
et ob id iusto dei iudicio regnum pariter
et vitam in brevi amisissent. oswal-
dus rex christianissimus eorum loco succe-
dens. deo annuente et fidei statum
propagavit. et regnum ampliavit. Is
illo post occisionem fratris canfridi
superveniente cum parvo exercitu. sed
fide christi munito. infandus brittonum
dux cum inmensis illis copiis. quibus
nichil resistere iactabat interemptus
est. in loco qui lingua anglorum denisesburna
id est rivus denisi vocatur. Osten-
ditur autem locus ille. et in magna ve-